



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.45. Capitulare in Saxonia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

Etibus arborum contentus. Verum sub Sæcul. VIII.  
 vitæ finem ex Hadriani Papæ præcepto,  
 quia multis infirmitatibus premebatur,  
 adduci se passus est, ut pisces comedederet.  
 Singulis ferme diebus inter largas lacry-  
 mas Missam celebrabat, & cantabat Psal-  
 terium, quod quibusdam diebus bis terve  
 repetebat, præterea lectioni & medita-  
 tionis verbi Divini continuo intentus.  
 Bremæ magnificam Ecclesiam in Sedem  
 Cathedralem sibi ædificavit, quam ubi  
 die Dominico, primo Novembris anno  
 789. dedicasset, inde octiduo elapso ani-  
 mam Deo reddidit. Ibidem quoque se-  
 pultus multis postea miraculis claruit.  
 Ecclesia ipsius memoriam, illo die, quo *Martyr. R.*  
 obiit, octavo Nov. colit. 8. Nov.

c. 10.

## §. XLV.

*Capitulare in Saxonia.*

Non sine fundamento ad illud tempus  
 refertur Capitulare Regis Caroli ad *Cap. to. I.*  
 Saxoniam præcipue pertinens, & com. *p. 251.*  
 plectens Articulos triginta quatuor, quo-  
 rum plerique ad confirmandam hanc Ec-  
 clesiam nascentem conditi sunt. Qui  
 mihi memoratu digni videbantur, sunt  
 sequentes: Veri Dei Ecclesiis saltem non  
 minor exhibeat honor ac olim Idolo-  
 rum templis. Omnes ad eas confugien-  
 tes Asylum inveniant. In pace ibi sint,  
 donec ultro ad Concilium venerint judi-

c. 1.

c. 2.

Kk 4 candi

Sæcul. VIII. candi. Sed nec vita priventur, nec mu-  
A. C. 789. tilentur. Qui Ecclesiam incenderit, vi-  
adhitæ irruperit, aut quidquam inde ab-  
stulerit, poenas morte dabit. Eadem  
6. 3. poena in interfectorum Episcopi, Presby-  
teri, aut Diaconi sancitur, id est, hac  
6. 5. crima aliorum criminum modo secun-  
dum Barbarorum leges neutiquam data  
pecunia elui poterant. Item eadem  
6. 9. mortis poena statuitur in illos, qui vi-  
rū aut mulierem, sub eo prætextu quod  
magiæ convicti sint, flammis intereme-  
6. 6. rent, vel qui ob magiæ speciem occiso-  
rum carnem comederint, aut aliis come-  
6. 7. dendarū dederint, credentes, ab hujus-  
modi beneficis homines devorari.  
Mortuorum corpora secundum mo-  
rem Gentilium non comburantur. Ne-  
mo in Religionis Christianæ contume-  
liam in Quadragesima carnes manducet,  
omnia hæc delicta morte puniuntur.  
6. 4. Item ad mortem damnatur, quicunque  
Saxo in multitudine hominum latens ad  
6. 8. Baptismum recipiendum venire contem-  
pserit, & quicunque cum Gentilibus con-  
tra Christianos conjurationem molitus  
fuerit. Inde vero conjiciendum est, eum  
maxime in finem has leges severissimas  
fuisse conditas, ut incusso Barbaris ter-  
rore ad conversionem compellerentur,  
quod adjiciatur, quemcunque, qui hæc  
6. 14. crima secreto commiserit, si se poen-  
tentiae

tentiæ subjiciat, accedente Episcopi te- Sæcul. VIII.  
stimonio, a morte fore liberandum. A. C. 789.

Omnis parvuli intra annum bapti-  
zentur, aut transgressores mulctam pe-  
cuniariam dent. Nempe tunc Baptis-  
mus, nisi infantes periclitabantur, ad-  
hucdum solo tempore Paschali conferri  
solebat. Conjugia illicita quoque mul-  
cta pecuniaria puniuntur. Corpora de-  
functorum Saxonum Christianorum ad  
Cæmeteria Ecclesiarum, non autem ad  
paganorum sepulchra deferantur. Qui  
voto se obstrinxerint fontibus vel arbori-  
bus, aut in honorem Dæmonum epulati  
fuerint, data pecunia luant, aut, si in  
ære non habeant, Ecclesiæ servire cogan-  
tur, donec mulctam dederint. Divina-  
tores quoque & Magi Ecclesiæ mancipen-  
tur. Cuilibet Ecclesiæ oportet dare vil-  
lam, cortem, cum duobus mansis, id est,  
duas familias servorum, & agros unde  
alantur. Tum centum viginti viri liberi  
contribuant, ut vir unus & mulier una  
conditionis servilis Ecclesiæ detur. De-  
cimæ de omnibus, etiam de iis, quæ ad  
Fiscum pertinent, Ecclesiæ tribuantur.  
Diebus Dominicis & Festis profana con-  
venticula nunquam habeantur. Ceteri  
hujus Capitularis Articuli de rebus sæcu-  
laribus agunt.

c. 19.

c. 20.

c. 22.

c. 21.

Kk 5

§.XLVI.